



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus, Quæ Religiosum Constitvunt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

Cap. I. Vtrùm votum assumendi statum religiosum, bonum, & validum sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)



LIBER QVARTVS.

DE VOTO ASSVMDENDI STATVM RELIGIONIS.



QUANTVS hoc votum simplex sit, est enim mera promissio de futuro, quæ statum religionis non constituit, sed ad illum ordinatur: nihilominus illius tractationem in hunc locum referuauimus, quia cum tale votum pro obiecto habeat ipsum religionis statum, oportuit prius de ipso statu notitiam aliquam præmittere, ac deinceps de illius promissione sermonem facere. Dicemus ergo prius de obligatione huius voti, quatenus ex tali materia specialem aliquam proprietatem, vel conditionem habet, postea de modis quibus cessare possit hæc obligatio: nam cætera, quæ communia sunt, ex generali doctrina de Voto sunt potius supponenda.

CAPVT I.

Vtrum votum suscipiendi religionis statum, bonum & validum sit.

TRACTAT questionem hæc D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 2. ad 3. & Opusc. 17. cap. 11. 12. & 13. vbi refert quosdam suo tempore errasse, dicentes non oportere homines se voto ligare ad religionis ingressum, qui partim fundabantur in generali errore circa conuenientiam, seu honestatem cuiuslibet voti: contra quem errorem satis in superioribus dictum est; partim nitentur in speciali ratione & difficultate talis voti. Nam cum status religionis sit res valde ardua, non videretur laudabile illam promittere sine sufficienti fundamento, & probatione talis status; ideo etiam in iure cautum est, vt ante professionem huius status annus probationis præmittatur, vt infra videbimus. Et confirmatur, quia assumere religionis statum ex Christi institutione, non est res necessitatis, sed voluntatis, & fieri non debet absque speciali instinctu Spiritus sancti, vt sumitur ex Urbano papa in c. dua sunt. 19. quæst. 2. ergo non licet homini necessitate astringi ad hunc statum assumendum; maxime cum de Spiritus sancti vocatione certus esse non possit.

Nihilominus dicendum est, per se loquendo, optimum esse votum religionis emittere. Conclusio est certa de fide, vt satis constat ex communi vsu, & consensu Ecclesie. Ratio autem manifesta est, quia materia talis voti non solum est honesta, sed etiam est ex melioribus, & optimis bonis: ergo & votum eius est optimum est. Et confirmatur, nam ingredi religionem est bonum: ergo ingredi ex voto, per se loquendo, est melius; supra enim ostensum est, opus ex voto factum cæteris paribus melius esse, quam sine voto: ergo etiam votum ipsum de tali opere faciendo optimum est. Dices, melius est statim ingredi religionem, quam votum ingrediendi facere, nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia: ergo pensatis omnibus nunquam expedit religionem promittere. Respondetur, primum argumentum non probare hoc votum non esse bonum

Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.

& optimum, sed ad summum probare, non esse tam bonum, quam est ipsa actualis professio religionis. Deinde dicitur non posse moraliter fieri, vt homo statim ac deliberat de religionis ingressu, propositum illud sine vlla mora exequatur, sunt enim plura humana impedimenta, quæ aliquam moram requirunt; vt res adeo grauis conuenienti modo executioni mandetur. Et ideo sicut propositum religionis, per se loquendo, tempore præcedit ingressum religionis; ita etiam, per se loquendo, laudabile est propositum illud per votum firmare, ac Deo specialiter consecrare.

Dico autem, *per se loquendo*, quia hic solum consideramus opus ipsum ex genere ac specie sua. Ad iudicandum autem in particulari, an expediat, particulares circumstantias considerare necesse est. Et in primis necessaria est maior ætas, vt Caiet. aduertit in dict. art. 2. in quo tamen aliud necessitatis est, aliud congruitatis: vt enim tale votum sit & honestum, & validum, solum est necessaria ætas sufficiens ad habendum vsum rationis, & deliberationem sufficientem ad peccandum mortaliter; hæc enim necessaria est, & sufficiens ad obligationem voti in genere, vt supra vidimus: ergo in rigore etiam ad hoc votum sufficit, sicut diximus etiam de voto castitatis, & aliis perpetuis, quia materia grauitas non sufficit vt maior deliberatio ex necessitate requiratur, nec ex natura rei potest aliqua maior ætas, aut aliquis certus excessus ad hoc postulari.

Quantitas autem tale votum in omni ætate vsus rationis validum sit; si tamen fiat ante annos pubertatis, non est omnino firmum, nam irritari potest a parente, dummodo post completam dictam ætatem confirmatum non sit, iuxta generalem doctrinam supra traditam de irritatione votorum. At vero loquendo de congruitate; ad hoc votum emittendum conueniens est matura ætas; ideoque non est facile pueris consulendum, nam sicut facile persuadentur, ita etiam facile mutantur. Deinde etiam requiritur matura deliberatio maior quam ad alia vota, & alia humana negotia; quia perfecta vitæ mutatio, suaque & rerum omnium perfecta abnegatio res est grauissima, & magna consideratione digna. Quapropter examinanda in primis est diuina vocatio, & inspiratio: deinde conditio personæ quoad habitum corporis, & alia huius vitæ impedimenta pensanda sunt, ad iudicandum an expediat tale votum emitte. Vnde generaliter concludit Caietan. non esse laudabile alios inducere ad hoc votum emittendum; quod ego intelligendum arbitror de inductione aut importuna, aut omnino antecedente ad alterius voluntatem, nam hæc solet multum minuire libertatem; cum tamen huiusmodi votum esse debeat omnino spontaneum, ne exponatur quis periculo aut violandi illud, aut ex tristitia, & necessitate illud implendi. Si autem alius consilium postulet, & re sufficienter considerara iudicetur, & statum religionis illi expedire, & periculum imminere mutandi propositum, nisi illud votum confirmet, recte potest ad tale votum emittendum induci

Notandum.

3. Vt tale votum sit bonum, & validum, nec sufficiens ætas est ad castitatem peccati mortalis.

Votum factum ante annos pubertatis non est firmum, si iam irritari potest a parente.
Ad votum religionis emittendum congrue, requiritur matura ætas, & matura deliberatio, maior quam ad alia vota. Non est pueris consulendum, dum vota emittuntur.
Exil. Caiet. Caiet.

non

non precibus importunis, sed rationibus non humanis, sed diuinis.

4. Dubium est, an haec forma voti in tali religione sit inuoluntaria, & obliget.

Dubitat autem specialiter Palud. An haec forma voti, si futurus sit religiosus, ero in tali religione, laudabilis sit, & obligationem aliquam inducat, referretque aliquos dixisse tale votum inuoluntarium esse, imo peccate qui illud facit, & qui illud consulit; quia ex vna parte non inducit ad religionis statum, quia non est absoluta promissio eius; aliunde vero tetrahit hominem a perfectioribus religionibus, si fortasse statum illum assumere velit. Veruntamen haec opinio improbabilis est, meritoque a Paludano reicitur, quia illud est votum conditionatum de re licita; quid ergo impedit quominus validum sit? Non quidem quod sit conditionatum, vt per se notum est, alias omne votum conditionatum nullum esset, nec etiam quod sit de determinatione ad certam religionem, alias votum absolutum eiusdem religionis in particulari esset illicitum, quia impediret aditum ad perfectiores religiones. Respondet ergo Palud. illud votum non impedire directe, vouendo scilicet non ingredi talem religionem, sed solum indirecte & implicite, & ideo validum esse: sicut iuramentum (inquit) non ingrediendi religionem, nullum est, quia directe repugnat maiori bono, iuramentum autem ducendi aliquam in vxorem validum est, quanuis indirecte & implicite etiam impediat. Sed profecto in re morali non minus incommodum esset, si licite impediret. Nego igitur villo modo impedire, nam tale votum determinat obligationem voluntatis saltem quoad specificationem ad talem religionem, respectu cuiuscumque inferioris, seu laxioris; quod optimum est, non excludit tamen, quin determinatio illa in meliorem commutari possit, & ideo nullum maius bonum impedit. Sicut etiam iuramentum de contrahendo matrimonium cum aliqua, non impedit quominus religionis status illi praeferi possit, vt in cap. 5. dicam. Est ergo bonum & validum illud votum, non tamen est proprie votum religionis, quia proprium religionis votum obligat, vt sic dicam, ad exercitium actus ingrediendi religionem; hoc vero, de quo agimus, solum obligat quoad specificationem, & ideo nec reseruatum spectat, neque aliquid habet speciale, sed per communita principia de voto regulatum est.

Tale votum est va- lidum, & obliget, & ad specifi- cationem, non est proprie votum religionis, nec reseruatum.

Ex his ergo constat votum religionis semel emissum obligare ad sui obseruationem, id est, ad exequendum id quod voto promissum est. Hoc constat ex generalitate voti, nam tale votum est sanctum & validum, vt ostensum est; ergo obligat quantum est ex se, est enim hic effectus inseparabilis, & quasi formalis voti. Statim vero inquirenda occurrunt omnia quae de tali obligatione generatim disputata sunt, quorum primum ac praecipuum est, pro quo tempore obliget tale votum. In quo nihil fere speciale hic occurrit, sed dicendum est, si vouens intentione ac promissione sua designauit tempus, pro illo obligari: si autem absolute & indeterminate promisit, per se obligari ad statim, per se ac moraliter loquendo; haec enim est natura voti, vt ibi ostendi, quae in hoc voto maiori ratione locum habet; quia qui vouit Deo religiosum statum, totam vitam suam, totumque vitae tempus illi promittit, & ideo eo ipso, quod indebit differt executionem talis voti, tantum subtrahit, ac detrahit de materia promissa. Hoc autem non obstat quominus ex iusta causa differri possit executio talis voti, vt statim dicam.

5. Votum religionis semel emissum obligat ad statim, si vouens intentione ac promissione sua designauit tempus, pro illo obligari: si autem absolute & indeterminate promisit, per se obligari ad statim, per se ac moraliter loquendo.

Rursum occurrit inquirendum, quibus modis cessare vel auferri possit haec obligatio, etiam si non impleatur. Ad quod in primis dicendum est auferri posse per illos tres communes modos, qui sunt, irritatio, dispensatio, & commutatio; de quibus ad fi-

6. Quibus modis cessare, vel auferri possit.

nem huius libri dicemus. Ex quibus primus generalis non est, sed tantum in quibusdam personis locum habet, in quo applicanda est hic generalis doctrina supra tradita, nam in hoc nullam habet specialitatem. Circa alios autem duos modos solum est obseruandum, hoc votum esse summo Pontifici reseruatum, & ideo applicanda hic esse omnia quae de talibus votis in superioribus dicta sunt, siue tale votum absolutum sit, siue conditionatum, aut penale. Deinde dicendum est hanc obligationem nunquam auferri propter solam negligentiam, aut voluntariam dilationem vouentis; non enim debet ex sua culpa commodum reportare, nec potest sua voluntate obligationem deponere, quam voluntarie sumpsit. Itaque quanuis vouerit religionem ingredi intra certum tempus, & illud tractatum sit, non cessat obligatio, quia ille terminus positus est ad differendam, non ad extinguendam obligationem, nisi aliud constiterit de intentione vouentis, quod rarissime, moraliterque vix contingit, quae omnia in superioribus fufius tractata sunt. Vltimo dicendum est ratione impedimenti posse hominem excusari ab obligatione huius voti; hoc enim constat ex generali doctrina de Voto, ex qua etiam habetur, si hoc impedimentum sit perpetuum, excusare simpliciter, si vero sit temporale, excusare ad tempus, ita vt regula generalis sit, tandiu excusare, quandiu durat. Quapropter si impedimentum perpetuum iam aderat quando votum emissum fuit, fecit vt votum esset nullum, quia fuit de materia moraliter impossibili, & non accepta Deo. Sitamen impedimentum solum fuit temporale, votum quidem validum fuit, habet tamen quasi suspensam obligationem, donec impedimentum auferatur: quando autem tale impedimentum sufficiens sit, prudenti arbitrio relinquendum est.

obligatio voti.

Non cessat hoc votum propter solam negligentiam, aut voluntariam dilationem.

Ratione impedimenti potest excusari a voto impleto.

Est autem hoc loco obseruandum ad differendam executionem huius voti, non solum sufficere impedimentum, vt sic dicam, positum, sed etiam negatum, seu rationabilem causam quae ex illo solet oriri: huiusmodi censetur esse causam differendi votum, quae ex tenera aetate sumi solet, vt per augmentum corporis, & virtutum eius homo idoneus creditur ad onus religionis sustinendum. Similis causa est quae interdum iungitur ex defectu scientiae: nam si quis differat implere hoc votum, vt prius comparare possit doctrinam religioni vtilem, quam intra religionem ipsam posse consequi non sperat, non est reus voti indicandus. In huiusmodi autem causis, ac dicationibus in primis bona fide procedendum est, vt non ipsa dilatio, sed vera utilitas religionis, & propria etiam rationabiliter intendatur. Deinde cauenda sunt pericula, ne vel occasione dilationis ita implicetur homo secularibus rebus, vt postea omnino non possit religionem ingredi: vel etiam ne illo tempore tot peccata multiplicentur, vt illud detrimentum maioris sit estimationis, quam omnis alia utilitas quae ex studiorum profectu, vel alia simili occasione sperari potest. In qua re arbitrium viri prudentis multum valere potest, & regulariter necessarium est. Videatur Sylu. verb. *Votum* 2. quaest. 3. Cordub. in Summa Hispana.

Ad differendam executionem huius voti, non solum sufficere impedimentum, sed etiam negatum, seu rationabilem causam quae ex illo solet oriri.

CAPVT II.

Quomodo votum hoc obliget ad religionis ingressum.

Ratio dubitandi est, quia nemo obligatur ad id quod non est in sua potestate, sed ingrediendi religionem non est in potestate hominis, pendet enim a voluntate eorum a quibus admitti debet: ergo.

Dicendum in primis est, obligare hoc votum ad procurandum religionis habitum, seu ingressum, & ante-